Casimirus

Lukini Joan. Antonii: Fatalis arctoi sideris occasus —

FATALIS
ARCTOI SIDERIS
OCCASUS,

In Dolentissimo Obitu,

Perillustris olim, Clarissimi, & Admodùm Rndi Domini,

D. M. RAPHAELIS
CASIMIRI
ARTENSKI,

Sacræ Theologiæ Doctoris ac Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiarum, Collegiatæ S. FLORIANI ad Cracoviam Canonici, Parochialis Pajęcznensis Curati, Contubernij Gelanij Provisoris;

DUM EIDEM

Per Ordines Academicos,

In Ecclesia Collegiata S. ANNÆ,

Vltimum redderetur

VALE:

A

M. JOANNE ANTONIO LUKINI,

In Alma Vniversitate Cracoviensi,

Philosophiæ Doctore & Professore,

DEMONSTRATUS.

Anno Domini 1699. Die 8. Julij.

CRACOVIÆ, Typis Vniversitatis.

FATALIS
ARCTOI SIDERIS
OCCASUS.

ARctam humanæ vitæ periodum,
fatales Siderum Occaſus ſi terminant,
funeſtum mortalibus diem dicunt.
Dira hæc fatorum & incognita vis,
aggeſtis ſæpè cladibus,
in ipſa auge luminis & ſpei publicæ,
novas inferias animorum litat;
& cùm naſcendi viam auſpice Cælo aperit,
moriendi mille figuras,
ad ipſa Orbis hilaria relinquit.
Sic Meridiem ſæpè terris vmbris nubila obfuſcant,
& in ipſo Apogæo honoris,
ſpes multorum tragico parentatur exitu.
Etenim *ludit in humanis Divina potentia rebus*,
dum alternas infandi doloris renovare vices,
& ferales ad læta pacis fœdera ingeminare Nænias, jubet.
Sic olim Romanos Orbis Dominos,
cum ſonitu volitantis per àéra famæ,
Cælo locaverit ipſo;
mox gravi ruina lapſuros,
buſtum vocat Berecynthiæ Matris.
Magnum antea Trojani Exercitûs Heròém,
alto ſanguine ſatum Evandrum,
inſigni robore mentis, ipſis parem ſuperis,
ſub Preneſte, Regis Herili
(*naſcenti cui, tres animas Feronia Mater, dederat*)
Victorem, quid iuvat adducere?
dum fatorum impulſu, Heſperijs immerſus vndis,
ſolo immobilis iacet.
Illud deniq; Troiæ (mirabile viſu) tot labentibus annis,
extructum Divinùm opus;

cuius

cuius supremum audire laborem, animus meminisse horret,
nunc fatis agitatum iniquis,
nec locus est, in quo Troia fuit.
O iustum Priami cordolium?
qui casu concussus acerbo, Hecubam miser lachrymis rigat.
O immedicabile afflicti pectoris vulnus?
quando celerem, in luco Simoëntis ad vndam,
libat tristia Adromache dona, Hectoreo cineri,
manesq; vocat hostilem ad tumulum.
Ergone, tantæ animis Cælestibus iræ?
vt Parcis minimè parcentibus, omnia vltimum repetant chaös
Ergone tam crudelis inclementia fati?
vt spiramenta animæ, lethali vulnere rumpat.
Ast dedit tandem his DEVS finem,
in Te visendum
Perillustris olim, Clarissime & Admodùm Reverende Domine,
D. M. RAPHAEL CASIMIRE
ARTENSKI,
S. Theologiæ Doctor ac Professor, Collega Major,
ad S. FLORIANUM Canonice, Parochialis Pajęcznensis Curate,
Contubernij Gelanij Provisor,
Cuius Virtutem, in summis semper laboribus Academicis
Literatus Septemtrio vidit,
ceu Clarissimum Sidus ab Arcto.
Sic Præstite Viatorum Ductore
cessisti quidem in via fatis, æternùm in Patria victurus,
elusisti falcatam mortis potentiam,
quia vltimum sine fine attigisti finem.
O felix benè morientis casus!
quo, vt benè viuamus & benè agamus, edocemur.
Hinc verè doctum
monstrauit Te, teneris ab annis, indoles egregia,
Patrio non contenta solo, quæ alienis nata sit terris.
Et vix
primis labris, de fontibus Craciæ Palladis Castalijs
libauit Sapientiam;
mox geminâ, doctarum Præmiatrix frontium

Alma Mater
Apollinari cinxit temporâ Lauru.
Decoratus tandem Laureis Philosophicis;
eò magis, ipsum veræ sapientiæ fontem coronat,
quò alacrius in statione Philosophica,
assiduis insistit laboribus.
Quos non diu, in publicis passa Lycæis
Iagellonica Pallas:
Summis enim negatum stare diu viris;
statim Collegio adiunxit Novoduorsciano,
vt Virtus vnita fortior, altius surgere valeat.
Omni procul dubio,
votis annuentibus, sors non alia risit:
dum alto demissa Olympo, & terrigenis dono superûm collata,
Cælestem in terris Professorem, fecit Divina Mathesis.
Iamq; Augustus ex vtroq; Cæsar,
vnanimi Senatûs Philosophici assensu,
Togato: quia pacis Amator, ornatus Paludamento,
Domum ingressus minorem.
intra cuius limites, minoribus tamen non circumscriptus laboribus,
plus vltra petijsse visus.
Vt potè
Dignissimus Artistarum Coriphæus,
Vigilantissimus Cursûs Vladislauiani Stadiodromus,
ex ipso cognomine, arte & sapientiâ clarus.
Emensus posthàc
Vastum Scyllarum Stagiryticarum Oceanum
in Minori Philosophantium subsellio,
ad Promontorium bonæ spei, votorumq; Insulam
ventis impleuit vela secundis.
Quem stantem in littore,
humanior Maiorum excepit portus.
At in fortunata Collegij Iagelloniani meta,
metam non attigit laborum vltimam,
quando spontè & liberè Tylicianæ Professionem Eloquentiæ subijt.
Cuius dignitas eò splendidior, quò multiplici decorata scripto.
Linquo nunc alia: nam tempus vetat?

vnius meminisse iuuat, meritiq; triumphi
ipso Coronationis Festo,
SERENISSIMI ac POTENTISSIMI,
AVGVSTI SECVNDI.
Poloniarum Regis Inuictissimi,
hac in Regia, Regni Sarmatici Metropoli,
fausto, cum applausu publico, expediti passu,
illius erudito Author calamo, manebit post fata superstes.
Sed quomodo videbit immensam vitæ lucem, in fatali occasu?
cùm post Teuthonicos victos, Libycosq; triumphos,
exul limosâ, Marius caput abdidit vluâ.
Quomodo lege naturæ solutus,
iterùm vitales spirare poterit auras?
Purpureus veluti, dum flos succisus aratro
Sic moriens euanescit, post funera sæua.
Attamen falleris nimiùm rabida diræ Lachesis cupido?
quia dignum laude Virum, Musa vetat mori.
Iamq; vanum depone furorem: nam vana sine viribus ira.
Hic post obitum, viuax erit in suis Discipulis Chiron,
Dignissimus primò Sacræ Theologiæ Professor,
post gemina exacti Cursûs Sacramentalis Olympia,
verior nunc à sepulchro, eiusdem Doctor.
Subtraxit quidem, fatis trahentibus vitam,
& mortis vicina properantes admovit horas,
per æternitatem, non per horas ac momenta victurus.
Ergo vives, vsu mortalis abeunte vitæ,
in illa Regione vivorum,
quæ non operta atra caligine mortis,
omnibus semper, diem accendit spectatissimum.
Felix iam morbo, cuius Curatorem ac Medicum,
in Sacratissima SYNAXI, absconditum habuit CHRISTVM.
Nec ipsa infelicior morte,
Qui inter octiduanæ solennia festiuitatis,
VISITATIONIS BEATISSIMÆ
dicato Eius Nomini Die,
festinanter abijt in Montana Cælestia cum MARIA.
O mors talis, morsq; suauis, nulli mortalium grauis,
ipsi vitæ præponenda, ab omnibus expetenda.

Quare frustra magnum sub imo corde premis gemitum,
lachrymasq; effundis inanes
Charissimi post obitum Filij, Mæstissima Parens,
ignorasne Summorum vitam Virorum, immortalem esse?
Et sane:
hæc vera est vita, quæ rectè factorum gloriâ, & non corpore continetur.
Viuere, plantis etiam commune virentibus,
ast benè viuere, vero proprium homini.
semper enim degit, qui rectè in vita egit.
Exinde singulare animi afflicti solamen,
ac præconcepti lenimen doloris,
Tibi exoritur, dimidium animæ viuentis,
Eruditorum in Orbe Literario Virorum præsens Tutela,
Magnifice, Perillustris, & Reverendissime Domine,
D. M. SEBASTIANE PISKORSKI,
I. V. Doctor & Professor, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis
Collegiatæ Vielunensis CANONICE, SS. Omnium ARCHIDIACONE,
Scholarum Novodvorscianatum PROVISOR, Studij Almæ Vniversitatis
Cracovien: PROCANCELLARIE, Generalis ac Vigilantissime RECTOR.
aspiciens mortalem, nihil mortale in vita gessisse.
Quia tamen fato Sapientum inexorabili
eò altius indoles, quo maiori anxietate, vt benè sit
Reipublicæ Literariæ, evigilas.
Pro tanti vice beneficii in piè defunctum,
Vices omnis felicitatis, ac longissimæ vitæ,
DEUS T. OPT. MAXIMUS rependat.
Fatalis hic Viri Sapientis occasus, dolorq; acerbus
lancinat & cordis præcordia vestri,
extremi pietatis obsequij Præstites.
Perillustres, Clarissimi, & Admodùm Reverendi Domini,
DD. EXECUTORES,
ast tanto occurrit dolori, cum medicamine dulci,
dulcis recordatio viuentis, in amico pectore, post fata superstes.
Quibus ex vrna sepulchrali, ista depromit vota,
vt Nestoreis in hac vita annis beati,
excelsis in Regno sapientiæ fulgeatis honoribus.
Et dum corpori exanimi dant fata recessum, tempusq; humandi;
accedunt mæsti Clientes, Contubernij Gelanij Alumni ad sepulchrale marmor,
vltimumq; pensant Vale, pro innumeris beneficijs
Indulgentissimo Patri ac Provisori,
æternam in pace beata precantes Requiem,
Quem Tu JESU Bone,
DOCTORVM junge CORONÆ.

Permissu Magnifici Domini RECTORIS.